


uel è conuerso. h igitur in lineam  $AB$  reclinabitur: alioqui accide-



ret partem esse. maiorē suo toto, quod facile puto intel-  
ligi. Recessit autem à prio-  
ri loco secundum longitudi-  
nem  $AH$  retractam per infra-  
ctam lineam  $DFH$ , æqualem  
ipsi  $AD$ , eo interuallo quo di-  
metiens  $DFG$  excedit subten-  
sam  $DH$ . Et hoc modo per-  
ducetur  $H$  ad  $D$  centrum, quod  
erit in contingente  $DHG$  cir-  
culo,  $AB$  rectam lineam, dū  
uidelicet  $GD$  ad rectos angu-  
los ipsi  $AB$  steterit, ac deinde  
in  $B$  alterum litem perue-  
niet, à quo rursus simili rati-

one reuertetur. Patet igitur è duobus motibus circularibus, &  
hoc modo sibi inuicem occurrentibus in rectam lineam motū  
componi, & ex æqualibus reciproū & inæqualem, quod erat  
demonstrandum. E quibus etiam sequitur, quod  $GH$  recta linea  
semper erit ad angulos rectos ipsi  $AB$ : rectum enim angulum in  
semicirculo  $DHG$  linea compræhendent. Et idcirco  $GH$  semissis  
erit subtendentis duplam  $AG$  circumferentiam, &  $DH$  altera se-  
missis subtendentis duplum eius, quod superest ex  $AG$  quadran-  
tis circuli, eo quod  $AGB$  circulus duplus existat ipsi  $HGD$  secun-  
dum diametrum.

Inæqualitatis anticipantium æquinoctiorum & obli-  
quitatis demonstratio. Cap. v.



**L**AM ob causam uocare possumus motum hunc circu-  
li in latitudinem, hoc est in diametrum, cuius tamen  
periodum & æqualitatem in circumcurrente: at di-  
mensionem in subtensis lineis accipimus, ipsum pro-  
pterea inæqualem apparere, & uelociorem circa centrum, ac tar-  
diorem